



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 10. Vtrum liceat quotidie hoc Sacramentum suscipere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

lidum, vt interdum fit per obliuionē. Tunc enim communio in aliud tempus esset differenda: nisi grauis aliqua causa prohibeat.

ARTICVLVS IX.

Utrum non-habentibus vsum rationis, sit dandum hoc Sacramentum?

Respondetur Primò, Ijs, qui nunquam habuerunt vsum rationis, non esse dandum Eucharistiam: vt infantibus, & amentibus à natiuitate. Ratio est; quia ad huius Sacramenti susceptionem requiritur deuotio & reuerentia; & vt accipiatur tanquam cibus spiritalis.

Respondetur Secundò, Ijs verò, qui aliquando vsum rationis habuerunt, & hoc Sacramentum desiderauerunt, dandum est saltem in periculo mortis, tanquam viaticum, etiamsi multos annos in amentia fuerint. Ratio est; quia illi habuerunt deuotionem actu ad hoc Sacramentum, quæ adhuc censetur virtute perseverare aliquo modo.

Notandum est Primò, In quibusdam Ecclesijs olim fuisse consuetudinem, vt etiam infantibus post Baptismum, & Confirmationem, daretur Eucharistia: vt patet ex Dionysio lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. parte 3. sub finem: Illud verò (inquit) quod pueri quoque, qui necdum possunt intelligere, diuini Sacramenti Baptismatis, & altissimorum Communione sacrosanctæ signorum fiant participes, videtur profanus ridiculum: &c. Idem colligitur ex Cypriano sermone de Baptizatis; vbi inter alia refert de quadam infantula, quæ Eucharistiam euomuit, eò quod panem tinctum idolis immolatum gustasset. Et Auctor de Ecclesiasticis dogmatibus c. 52. Si paruuli sunt (nempe qui ab hæreticis sunt baptizati) vel hebetes, qui doctrinam non capiunt, respondeant pro illis, qui eos offerunt; & sic per manus impositionem christumate communiti, Eucharistia mysterijs admittantur.

Sed hæc consuetudo ob iustissimas causas iam pridem in Ecclesia est abolita. Primò, Ob maximum periculum irreuerentiæ: fieri enim vix potest, vt infantes Sacramentum vel saluus non eijciant, vel non exspuant. Secundò, Quia requiritur reuerentia, & deuotio, & vt accipiatur tanquam cibus spiritalis; quod infantes non possunt. Quare eum sine illo possint saluari, omnino decet vt illis non detur. Denique fundamentum illorum, qui communionem censebant infantibus esse dandam, sunt verba illa Domini Ioannis 6. Nisi manducaueritis: quæ constat non pertinere ad infantes, sed ad solos adultos.

Notandum Secundò, Non solum ijs dandum hoc Sacramentum, qui aliquando explicitè hoc desiderarunt, sed etiam ijs, qui implicitè: quales sunt omnes qui Christianè vixerunt, & modò rationis vsum sunt destituti, vt explicitè petere nequeant: quiuis enim Christianus, dum ratione utitur, censetur implicitè velle suscipere omnia salutis suæ remedia Christianæ plebi communia. Requiritur tamen Primò, Vt præsumatur esse in bono statu; quod semper præsumi debet, quamdiu non constat de contrario. Vnde etsi malè vixit, si tamen postea signa contritionis dedit, non

est præstandum hoc remedio: vt colligitur ex decreto Concilij Carthaginensis citato hic à D. Thoma in Corpore. Secundò, Vt absit periculum eiectionis, vel alterius irreuerentiæ notabilis. Vide Siluestrum, Euchar. 3. q. 5. §. octauo.

ARTICVLVS X.

Utrum liceat quotidie hoc Sacramentum suscipere?

Respondetur licere, quotidie sumere, modò quotidie sit paratus vt dignè id præstes. Vide D. Thomam, qui id optimè explicat. Idem habet Concilium Tridentinum sessione 22. cap. 6. Oportet quidem S. Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes non solum spiritali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistia perceptione communicentur, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior perueniret. Nec tamen, si id non semper fiat, idcirco Missas illas, vt priuatas, & illicitas damnat, &c.

Aduerte tamen, Quia varia sunt hominum negotia, & animarum occupationes, satis esse, vt seculares octauo quoque die accedant: id enim sufficit ad fructum animorum, & habetur ratio reuerentiæ huius Sacramenti: difficile enim est secularibus crebrius conueniens tempus huic sacratissima actioni impendere, & sese debite præparare. Qui autem planè à mundo sunt segregati, & toti rebus spiritalibus dediti, (quales debent esse religiosi, & hisce similes) ij sapius possunt communicare, habita tamen ratione edificationis proximorum, & consuetudinis locorum.

Petes, An sapius in die liceat communicare? Respondeo; non licere, nisi fortassis in euentu: vt v. g. ad impediendam iniuriam huius Sacramenti ab incendio, ab hæreticis &c. Id tamen non est iure diuino prohibitum, sed Ecclesiastico: quod colligitur ex Cap. Consultum, de Celebratione missarum; & Cap. Sufficit, de Consecratione dist. 1. quibus locis Sacerdoti non permittitur secundò celebrare, nisi ob necessitatē. Vnde colligunt Doctores laico nõ licere secundò communicare; quod etiam Ecclesiæ consuetudo confirmat. Quauis tamen hora diei potest quis communicare, modò sit ieiunus, & absit scandalum; vt docet Angelus, Eucharistia 3. num. 36. & Siluester Eucharistia 3. q. 15. nulla enim lex obstat, aut consuetudo habens vim præcepti. Secus de celebratione.

ARTICVLVS XI.

Utrum omnino liceat à Communionem abstinere?

Notandum est, quosdam Doctores sentire communionem laicam non esse iure diuino præceptam, sed solum consultam; iure tamen Ecclesiastico esse præceptam. Ita D. Thomas in 4. d. 9. vt testatur Caietanus hic, qui in eam propendet, & Alexand. Halens. 4. p. q. 51. Bonauentura d. 12. art. 4. q. 1. Gabriel in Canonem lectione 87. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 61. Siluest. Eucharistia. 3. §. 1.

Sed contrariū est longè probabilius & verius; nempe

24 Infanti- bus ne detur Eucharis- tia.

Nec amentibus, nisi aliquando rati- one.

Olim infan- tibus dari solita.

Cur iam infan- tibus dari non debeat.

25 Detur om- nibus qui implicitè eam deside- rant.

Quotidie communi- cantes op- rat Tri- dentinum.

Seculares octauo die communi- cent.

Crebrius Religiosi & Deuoti.

27 Semel duo- taxat in die extra ne- cessitatem.

Quauis hora.

Diuino præcepto obligantur ad quantum- que commu- nicandum.